

Forfatter: Arrebo, Anders

Titel: Udrag fra Breve

Citation: Arrebo, Anders: "Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965", i Arrebo, Anders: *Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965*, udg. af VAGN LUNDGAARD SIMONSEN ; Jørgen Glahder , Munksgaard, 1965-83., s. 305. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-arrebo01val-shoot-idm140030262154736/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965

2.

Til kansler Christen Friis til Kragerup.

Illustri, Magnifico, strenuo admodum, nobilissimoque viro, pietate, doctrina, armis præstantissimo, Domino Christiano Frisio, potens. Regis Dan. et Norv. etc. Cancellario magno, equite aurato, fautori & promotori meo summo, pro honoris testimonio gratique animi symbolo Domini nostri Jes. Christi gratiam, Dei patris amorem et spiritus s. communionem animitus precor.

Vix ac ne vix quidem, Magnifice patrone, Magnificentie vestrae alias occupatissimæ, crassa et agresti hac Minerva obstreperem et vel minimum negotium facerem, si non *παύρητων* sæpius atque sæpius scribendi et statum Ecclesiarum et scholarum indigno mihi concreditarum detegendi, valedicenti mihi ipsa cadem largita esset religiosissime. Si autem Ecclesiarum nostrarum delinactionem ad apicem vobis depingere conarer, vel absentium quivis vno forte ore insonaret, me immania, horribilia et incredibilia mentiundo, pessimum nunc ejus statum præcendere, ut aut antecessores meos incuria reos agerem, mortuis impudenter insultans leonibus, vel si (quod Deo patrocinante vere spero) tanto malo remedium aliquando fiat, mihi soli ejus acceptum referrem. Sed garriant latentque, quod velint isti, bona ego fide Magnif. vestra: omnia (utinam omnia) relaturus et relationem eventu successive probaturus.

Aliquot hactenus provincias pelustravi, plures cras (Deo volente) aditurus; sed me Christe! quantam in ipso officij limine inveni barbaricam, ruditatem et inscitiam ab incuria doctorum et inspectorum (dubio procul) partim etiam diaconorum extrema barbarie prognatam et profectam. Vix vnicus inter 40 vel provectoris ætatis repertus est, qui in sua præcepta et interdum Pater noster recitare didicerat; priori quidem (quantum quidem per divinam gratiam licuerit)

20

malo mascula me opponam indices, posteriori autem nullum est, quod videam, remedium, nisi brachio fultus seculari. Tanta n. et tam enormis est adituorum apud nos pauperies, ut nisi piscaturæ suæ, alijsque negotijs rusticis totum annum consecraverint, vix panem famelicum sortiantur miselli, tantum abest, ut, manum a stiva retrahentes, curias rusticorum, juventutis informandæ ergo, septimanatim, secundum ordinationem, visitare possint. Hinc etiam factum est, ut plurimæ Ecclesiæ illis vel omnino destituantur, vel, si quos, non nisi barbaros et paganos, qui nunquam Catechismum viderunt, admittant, et sic cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt. Imperat quidem præsidibus ordinat. fol. 44, ut curent habere vnamquamlibet Ecclesiam et pastoratum suum Diaconum, et ut fiat conventio tolerabilis inter illum et decimantes, sed conqueruntur miseri, hoc in præsentem diem nil minus factum, sed unicuique liberum esse, quid pro quo, vel prorsus nihil, contribuere. Huic inconvenientiæ per diploma quoddam regium haud difficile mederi licebit. Ad pastores nunc redeo, quorum ante in transcurso memineram, vitam et mores eorundem penicillo quodam coloraturus; sed ad colorem (proh Jupiter) ipse totus erubesco et contremisco, et parcerem quidem illis, si officium et ipsa justitia manum ad scribendum non vi quadam raperet et impelleret. Nam mirum est, et Dei viscerosissimæ misericordiæ simpliciter adscribendum, tam perversa tamque perdita terræ pondera ab ipso inferno (si non externo gladio) non statim absumi. Certe, si incestus, fornicationes, cædes, heluaciones, falsa testimonia et id genus pessima quæque virtutes sint, ne hilum quidem magna pars ministrorum apud nos ipsis sanctiss. largitur Monachis, si vero scapham scapham et schandala schandala appellare liceat, tales revera fructus nostrorum sunt, ut arbor digna sit, quæ excidatur et in ignem conjiciatur, et tamen hactenus ad tam enormia et horrenda Ecclesiæ schandala plerumque est connictum. Qvare jam, invocato fideliter numine et nomine divino,

7 eorum e diversis locis, Norlandia praesertim, citavi, ut comparcant ad 20 Augusti (interea n. spero rediturum a vobis Dominum praesidem) in Consistorio, praesente praeside et alijs paucis praepositis, adducturi secum testimonia ex scholis et Acaedemijs (qva: tamen non habent nonnulli, sed tanquam alij sicarij et homicidae patria expulsi et in hoc, juxta adagium, nebulonum receptaculum, adsciti et sacris praefecti) item defensuri sese contra appellationem stupri non semel sed iterum atqve iterum, spreto thoro conjugali, perpetrati; item vtrum laudabile, quando ab illis ad amplexum et concubitum sollicitantur virgines sub confessione, quod etiam, ante anni spatium, coram capitulo absqve executione conqvstum est; porro audituri, qvmodo vino sepulti, nondum facta *εὐχαριςτία* et benedictione, sacramentum (vel rectius clementum) misellis communicantibus porrigere non erubuerint, et alia qvamplurima, de qvibus omnibus speciatim Magnificum Dominum patronum, finito foro et lata sententia, certiozem reddam. O luctuosum et lacrymis sangvinea deplorandum in hisce oris borealibus Ecclesiae statum. Deus aeternus perditissimis hisce et consimilibus alijs virijs finem imponat, propter gloriam nominis sui et Ecclesiae aeviternam salutem. Vtinam omnes praesides admonerentur, ne ad ejusmodi facinora ecclesiastica dissimularent, qvin potius omnibus suis praefectis, omnem cum illis contractionem, reconciliationem et conniventiam absunderent et praeriperent, omnemqve lapidem moverent, ut Deus nobiscum habitaret, schandalis ejusmodi eradicatis. Intelligenti Magnifico Domino meo, satis. Ecclesiae porro Findmarchianae hucusqve omni visitationis cura orbatae, vestrae Magnif. fretus suffragio et consilio, per literas certas, binos praefeci praepositos, alterum pastorem Vardøensem, Dominum Olaum Caroli, ad partem orientalem, ad occidentalem vero Dominum Christiernum Ripensem, in Mælfjord pastorem. Qvibus tamen (qvod et praesens submisise revelavi) dictas visitare posse provincias propter extremam pauper-

tatem (non enim habent suas decimas sicut alibi in Findmarchia), simpliciter impossibile, nisi præbendula quadam a sereniss. Regia Maiest. clementissime adjutis. Cujus obtinendi voti, cum non exiguam spem præsentem mihi addiderit Magnificencia vestra, rogo jam humiliter et per Christum obsecro, ut visitoribus illis duobus, posthac officium] (sub poena depositionis ab eodem) diligenter facturis, aliquid clementissime dignetur. In capitulo nostro nunc vacat vicariatus Divi Michaelis, cujus redditus anniversarius 23 thaleri, aut si ille forte alicui deputatus, possidet præbendam Dominus Arnerus pastor in Sundmör, ejusdem proventus qui nec indiget, nec certum est, an idem odio vel amore dignus, tempus docebit. Præterea habitat apud nos pastor in Örtkedall, nomine Dominus Jonas, qui dum pastorem ageret Nosocomij propter exiguam mercedem, interventu amicorum, præbendam 27 thalerorum S. Annæ occupavit, jam vero ad prædictum bonum pastorem vocatus, illa nil minus opus habet, præterquam quod propriam consanguineam incestarit, sed audio delictum et reatum a Regia Majt esse condonatum. Si hæc binas binis hæc in Findmarchia præpositis et eorum successoribus clementiss. deputaret Majestas Regia, rem Deo vere gratam Ecclesiæque perutilem faceret. Restat, ut de schola nostra aliquid impræsentiarum simul addam. Habet illa discipulos alumnos 127, præceptorem, Collegas tres, quibus hæc diebus et quartum addidi. Maxime autem e re foret (quod etiam monuit, me præsentem, magnificencia vestra) si correctorem haberet honestum et doctum, quod tamen fieri nequit absque speciali stipendio; nam schola valde tenuis redditibus. Concessa est Domino Laurentio in Frosten, viro nonagenario et jam mori vicino, graviterque decumbenti, præbenda S. Laurentij, cum salario 56 imperialium thal., illam si correctori designando a Reg. Maj. impetraverit Magnific. vestra, beneficium fecerit et auxilium Reip. huic literariæ nulla unquam oblivione delendum. Sed hoc (sicut et coetera omnia) divinæ et vestræ Mag. dispensationi

commendo. Vnicum restat, desideramus præter 4 ex nostris, quos iam revoco, sex studiosos juvenes, honestos et doctos, vtinam curaret Dominus meus apud D. Regem eos nobis mittendos. Hic nulli expectantes, qui boni et probati sunt, et nolumus plures nebulones, nam illorum apud nos nulla inopia.

Longula denique has sc[ri]pti]one contra occupatis. Dominum meum non peccassem, si ipsa pietas et generositas ejus ab vna, et turbulentus Ecclesie apud nos status ab altera parte calcar et audaciam mihi non addidissent. Qvare ignoscat obsecro Mag. vestra mihi hunc ausum temerarium, et me servum suum patrocínio suo illustri commendatum habeat. Deum æternum patrem Domini nostri J. Christi animitus oro, nunc et quotidie, vt nobis et Ecclesie suæ, Regem nostrum clementiss., te Magnificum ejusdem Cancellarium qvoque cum nobiliss. thori socia, pignoribusque perdulcissimis qvam diutissime conservet incolumem per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen. Nidarosie: 26 Jun. 1618.

Tuæ Nob. Magnif. studiosiss. et observ.
Andreas Christiani Arøensis.
Mpp.

Udskriften er omtrent ligelydende med brevets indgang.

3.

Til kansler Christen Friis til Kragerup.

Gudtz Naade och fred, med ald aandelig och legemlig velsignelse, ønsker ieg E. Magnificentz ydmygeligen vid Jesum Christum vor Herre. Strenge her Cantzeler, patrone Magnifice, Jeg thilfordrister mig, ohn gefør for 14 wger forleden, eders Magnificentz med min vnderdanige schrif-fuelse vid skipper Roland Bagge i Vingaar stredet at importunere, bespørendes mig ydmygeligen hoes E. Høyvished om fem puncter besynderlig.